232

K


16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

KW
232 K 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

503 B 24

DAN. HEINSII

237 D 17

IN

CRVENTVM
CHRISTI SACRIFICIVM,

Siue Domini Paſsionem,

HOMILIA.



LVGDVNI BATAVORVM,

Apud Ludouicum Elzevirium.

ANNO CIϽ. IϽC. XIII.

11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Nobiliſsimo & Ampliſsimo viro,

ADRIANO de MATENES,

Domino in Matenes, & Opmeer,

Academiæ Curatori &c.

IEſum Chriſtum nuper in præſepi pro nobis repoſitum exhibui, qualis fuit, poſtquam integra diuinitate & illæſa, carnem noſtram præ amore ineffabili aſſumpſit, & in terram noſtra cauſa deſcendit. Nunc eundem exhibeo, qualem ipſe ſe exhibuit in cruce, cum diuinitate iterum illæſa, quicquid noſtra cauſa induit, morti ſubiecit: vt pro nobis paſſus, quicquid pati ſolus homo debuit, ſuſtinere autem nullus homo potuit, iuſtitiæ diuinæ ſatisfaceret, patri autem ſuo illam in nobis redderet imaginem, quam inſtinctu Diaboli amiſeramus. Hæc qui aliter quam ſumma cum humilitate ac reuerentia conſiderat, indignus mihi prorſus hoc beneficio videtur. Et tamen, ne hic quidem nihil voluit licere ſibi curioſitas humana. quæ vbique ingenio indulget: vbique cum iactura pietatis, eruditionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

ſuam profitetur. Parum ſcilicet putamus eſſe hoc quod Deo ſatis fuit, quod ſufficere ad ſcientiam, ſufficere ad ſalutem voluit, Ieſum Chriſtum pro peccatis noſtris eſſe mortuum: niſi ad modum quoque & id genus alia deueniatur. Qui profecto mihi hoc videntur agere, quod milites Romani, moriente Domino. qui, dum ſancti, mater ſcilicet, Iohannes & alij, in abominabili hoc caſu, ſtant ad crucem & dolore crudeliſsimo non tantum externantur, ludunt aleam & veſtimenta partiuntur: quaſi ea res ad ſe non pertineret. Ita agitur nobiſcum: dum Dominus patitur, argumentamur: dum in crucem tollitur, diſputamus: dum moritur, veſtimenta eius & poſſeſsionem maxime propriam, hoc eſt, Eccleſiam diuidimus. Hæc dum cogito, ſicut nuper, ita nunc ad pietatem me conuerto. Scripſi enim Homiliam De cruento Chriſti ſacrificio in cruce, ſine oſtentatione vlla, ſine anxio, quod paginam vtramque nũc plerumq; facit, ordine ac diſpoſitione: & vt ſancti illi patres ſolent, κρυπτικῶς καὶ ἀκιβδήλως. niſi ſi quid oratorũ conſuetudini conceſsimus. Eam autem tibi, Nobiliſsime virorum, conſecramus: ſiue ex promiſſo, ſiue ex merito. Luculenta tua prorſus in me extant beneficia. Non cõmemorabo hic, quanto ad me audiendum ſtudio huc veneris, non commemorabo alia, quibus me

obſtri-

obſtrictum ac deuinctum tibi habes: maiora enim ſunt quæ omnes publice debemus tibi, & quæ Academia agnoſcit. quæ nunc ſummo Dei beneficio, tum Theologorum moderatione ac prudentia, placida tranquillitate fruitur. Quod in primis vobis eſſe curæ, certo ſcimus. Perſuadent hoc nobis admirandæ plane ac eximiæ virtutes, quæ in vobis ad exemplum vſq; elucent: Incredibilis humanitas, morum amabilitas, & quod vt præcipuum, ita in nobilitate eſt rariſſimum, pietatis amor ſinceriſſimus: quæ non poteſt eſſe in quoquam ſine pacis ac concordiæ amore. Vale Nobiliſſime virorum, & amare nos perge. Lugd. Bat. Martij XI. CIↃ IↃCXIII.

D. Hieronymus.

OMNIS CREATVRA CHRISTO MORIENTI COMPATITVR. SOL OBSCVRATVR, TERRA MOVETVR, PETRÆ SCINDVNTVR, VELVM TEMPLI DIVIDITVR, SEPVLCHRA APERIVNTVR: HOMO MISER NON COMPATITVR, PRO QVO CHRISTVS PATITVR.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

IN PASSIONEM HOMILIA.

Habita xi Martij in auditorio Theologico.

CELEBRAMVS diem, Auditores Ornatiſſimi, cui ſimilem ab orbe condito, nulla ætas vidit, nulla iterum videbit. Quo æterni Dei filius, æternus ipſe, cum humanum corpus aſſumpſiſſet, vt naturam noſtram per originis reatum vſque ad inferos depreſſam, ad cæleſtem gloriã traduceret, ab ijs ad quos venerat, ab ijs quorũ cauſa venerat, ad quos oratores ſuos & legatos, qui aduentũ hunc denuntiarent, ſtatim poſt peccatum & corruptionem noſtrã miſerat, mouente terra, caligante cœlo, morte execrabili ſublatus eſt. Cuius quidem argumenti grauitas, facile a nobis obtinere potuit, vt quęcunque initio orationum ſuarũ præmitti a Rhetoribus ſolent, quibus aut attentos aut benignos eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

ſibi animos efficiunt, qui nihil aliud, quam elegantiam verborum & orationis flumen expectant, ſola Ieſu Chriſti cruce contenti, cuius recordatio lachrymas potius fidelium, quam oratorum eloquentiam deſiderat, procul habenda putauerimus. Ac mihi quidem diligenter omnia, quæ geſta ſunt a ſeruatore noſtro intuenti, ex quo primum carnem noſtram induit in vtero, quam deinde obtulit in ſacrificio, tota eius vita, nihil aliud quam paſſio videtur fuiſſe. Vix enim natus, ſanguinem in circumciſione effudit, vix circumciſus, protenus ad cædem fuit deſignatus, vix doctrinam ſuam publice profeſſus, concitator populi, impius, blaſphemus, furioſus, denique Diabolus, ab ijs quorum Deus ſemper fuerat peculiariter, vocatus fuit. Vbique video miſeriam, calamitatem, probra, contumelias, dolores, paupertatem, laſſitudinem, mœrorem, famem, ſitim: vt in cruce tantum perfeciſſe videatur, quæ in tota vita ſemper fuerat perpeſſus. Cæterum, cum in hoc tempus, quo iam ante tot ætates ac ſæcula prædictam, & ab omnibus prophetis decantatam victimam, Deo patri Deus filius offerret, tota vis Diaboli, omnes inferorum poteſtates, omnes pœnæ,

næ, tam quæ in præſenti vita tolerari a quoquam poſſunt, quam æternæ, quas in breue tempus contraxiſſe potius quam mitigaſſe, diuina iuſtitia videtur cui ſatisfaciendum erat, certatim incubuerint, nullam alibi exiſtimo, tolerantiæ, patientiæ, atque incredibilis conſtantiæ exemplar abſolutum quam in eo ipſo reperiri poſſe. Quod profecto nec in picta Porticu, nec in Academia aut veteri aut noua, nec in delicatis diſputationibus Lycei, ſed in accuſatione ſui filij & morte, immortalis Dei exhibuit ſapientia. In quo, vt reliqua tractare ſuo ordine poſſimus, ante omnia ſeriem, quemadmodum a ſanctis viris quos diuinus ſpiritus afflauit, nobis eſt relicta, obiter videbimus. Vt ex certa rerum fide ipſa admiratio procedat. Poſtquam ergo preces illas, quas pro hominum ſalute conceperat, ardenter effudiſſet, quibus Eccleſiam potiſſimum iam moriturus, charum illud pignus, cuius cauſa omnia non tantum fortiter ſed & libentiſſime ferebat, patri commendauerat, trans torrentem, cui ab vmbroſa valle nomen erat, mœſto ac afflicto animi, ſub arborum vmbraculis,

quemadmodum vt plurimum obſcura loca mœror amat, cum diſcipulis obambulanti, cum armata miniſtrorum ac ſatellitum cohorte, proditor occurrit. Olim autem, ne quid geri videretur temere, prædictum fuerat, Simul ac percutietur paſtor, diſpergentur oues. Ergo ingruente tempeſtate, fugiunt propinqui, diſcipuli recedunt. Diſcipuli, cum quibus pridie cœleſte illud epulum ſumpſerat, in quo veram illam ſui corporis ambroſiam guſtandam omnibus dederat, verum illud ſui ſanguinis nectar omnibus propinauerat, alij fugiunt, alij renunciant. Amicus & contubernalis dum ſalutat innocentem, pro nocenti tradit: ſed quem ante (o immane ſcelus!) nummis aliquot vendiderat. Conſtringuntur manus, conſtringuntur brachia. Vinctus ac conſtrictus abducitur. Iuuenis chariſſimus, qui ſanctiſſimum illius ſinum paulo ante preſſerat, quem præ reliquis amabat, qui ex eius inſtitutione ineffabiles diuinæ ſapientiæ theſauros hauſerat, qui ex ſacro illo ore primus didicerat, verbum in principio fuiſſe, & hoc verbum carnem aſſumpſiſſe, mœſtus ac deiectus procul ſequitur. Sequitur & Petrus, heros

Zach.13.7 Mar.13.27.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

ros ille maximus,diuini amoris officina quædam & quaſi focus: ſequitur,ſed eminus: ſequitur, ſed maximo cum metu. Reliqui ne adſunt quidem. Quibus aut ſalutem reſtituerat,aut afflictam ac debilitatam partem corporis curauerat, quorum infinitus ac omnino maior quam ſubduci poſſet, erat numerus, ne reſpiciunt quidem. Omnes deſerunt mitiſſimum dominum. Ab Anna ad Caipham, a Caipha ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, ab Herode rurſus ad Pilatum, futurus olim mortuorum ac viuorum iudex deducitur. Oppugnatur innocentia, illuditur ſimplicitas,mendacijs ac fraudibus veritas opprimitur. Serui ac calones, rerum domino inſultant. Lictores & fex mera nebulonum, vultum illi more puerorum velant ac percutiunt: petuntque vt diuinet, a quo fuerit percuſſus. Supremi pontificis miniſter, ſupremum generis humani pontificem, virga ſine cauſa cædit. Phariſæi ac doctores legis, autorem eius ac latorem,crudeliſſime accuſant. Herodes cum militibus & aulicis, ad ſe venientem, neque reſpondentem quicquam,ridet ac contemnit, & ne quicquam deſit contumeliæ, veſtem illi

ludibrium commutat. Milites, gens barbara & ad cædem facta, colaphos in faciem impingunt. Iidem oris excrementa in cœleſtem illum vultum exonerant. Iidem caput illud, in quo vniuerſa Dei ſapientia ac ratio continebatur, ſpinis lacerant ac frangunt. Nulla corporis pars aut dolore ſingulari vacua aut opprobrio relinquitur. Caput ſpinis calamo & pugnis, vultus ſputo, malæ alapis, os aceto, aures mille contumelijs læduntur. Ipſe quid? Tacet & obdurat. Sed & quoquo ablegatur, nihil iudici reſpondet. Cauſam forte quæres, impie, qui poſt mortem etiam, Dominum accuſas, & iã ſemel paſſum cruci iterũ affigis, cauſam, inquam, forte huius quæres ſilentij. Cui vero reſpondiſſet? Iudicibus inquies. Quibus vero tandem? An Pilato? At ignarus cauſæ venerat. An Iudæis? At actores erant. Quid autem reſpondiſſet? Dei filium ſe faſſus eſſet. Hoc iam erat quod intentabatur. Eſſe ſe negaſſet. Veritas mentiri neſcit: & hoc ſæpe iam docuerat. Nam de perduellionis crimine, quod cruce vindicant Romani, quid aut quomodo? Credo, regnum ſuum eſſe æternum, quod cum Cæſare diuiſum in hoc orbe ac diuerſum ha-

beret. Veniſſe vt Eccleſiam colligeret, vt populum doceret, vt humanum genus perditum ac conclamatum, partim voce partim ſignis ac miraculis ſeruaret, vt palantes Iſraelis oues iterum colligeret. Hoc Quirites ſcilicet curabant: hoc legatus Syriæ, hoc milites Romani aſſecuti eſſent, quod Iudæi aſſequi non poterant. Nam de templo quod impingebatur, falſum eſſe ratio docebat: quippe aut non recte intellecta voce, aut in ſenſum alienum perperam detorta. Cæterum Romanus, cum exulcerato populi furore, fruſtra niteretur, vt ſpectaculi crudelitate animi cōmouerentur, nudum ac manantem ſanguine in medium adduci iubet, &, Ecce vobis homo, inquit. Hic attolle oculos, o anima, & in faciem Domini & Dei tui intuere. Relinque paululum omnes vanitates tuas, quibus toto vitæ tempore adhæſiſti, & ſi potes, vel momentum vnicum, omnes cogitationes tuas collige, & in Seruatorem tuum hodie transfunde. Ecce homo, ecce vir doloris. *Ecce ſpecioſus præ filijs hominum, rubicundus, electus ex millibus, cuius comæ ſicut germina palmarum, nigræ quaſi coruus, cuius oculi ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ ſunt lacte lotæ,* Cant. Cant. 5.10.

cuius labia lilia diſtillantia myrrham primam, ecce nihil nuncquam ſanguinem pluit. Coma ſanguine concreta eſt, caput ſpinis perforatum, ſanguinem eiaculatur, nares colaphis contritæ, nigerrimo cruore vultum aſperſerunt. Et quod omnium eſt miſerrimum, vinctus ac conſtrictus, non habet quo ſanguinem, non habet quo manantem toto corpore cruorem abſtergat. Ecce homo. Hæc eſt illa facies, quam cæli non ſuſtinent, inferi non ferunt. Hic eſt qui nunc obmuteſcit, cuius vox in nubibus auditur, cuius tonitru horribili fragore mentes hominum percellit. Ecce homo. Ecce inquam homo. Ecce rerum dominus ſtat egenus inter omnia quæ poſſidet, vinctus ſtat qui omnes liberat, vulneratus ſtat qui omnibus medetur. Ecce homo. homo, inquam, tua cauſa o homo. Stat coram iudice, coram nobis omnibus, ſtat pro nobis omnibus. Stat exutus veſte, ſtat expoliatus, ne quod vulnus toto corpore, latere ſpectatorem poſſit. Quæ vel ſingula mouere mentes Iudæorum poterant, niſi Deo aliter fuiſſet viſum. Itaque efferati magis ac dementes, quem videbant prope ad necem virgis cæſum, tolli poſtulant in crucem.

Quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Quam (o ſcelus immaniſſimum!) prope iam exanimatus baiulare cogitur. Adduntur validi lictores, qui ex more Romanorum, flagris incedentem tardius caſtigant, loris iam debilitatum viribus ac ſanguine exhauſtum, impellunt, lacerant, ac ſubinde ceſpitantem aut deficientem conculcant. In hoc vltimo momento conſtitutus, dum ſub onere curuatur ac inflectitur, dum ſpiritum vix ducit, neque minus tamen verberibus impellitur, dum pulmone propter crebram & frequentem anhelationem obſtructo, altius anima ducitur, dum non minus a labore ſanguis excitatur e vibicibus, quam ſudor profluit e vultu, triſtes illos oculos conuertit ad nos omnes, & ne ſuo merito eorum quicquam, etiam hoc tempore, a nobis pertuliſſe iudicetur, qui plerumque immemores neque grati ſatis, quia omnia eueniſſe noſtra cauſa non cogitamus, neq; penitus abſoluimus Dominum, cum Iudæis condemnamus, ita vnumquemque noſtrum compellat: *Populle mi,* Mich. 6. 3.
quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? reſponde mihi. Ad imaginem diuinitatis meæ te creaueram, cum primum te e puluere formarem. Ingratus, inobediens, ſuperbus, arro-

gans, ambitioſus, dum vis mei eſſe ſimilis, Diabolo ſimillimus es factus, a quo es ſeductus. Abieciſti diuinitatis meæ imaginem, ego humanitatis tuæ iterum aſſumpſi. Ante damnatus quam genitus, mox conceptus nihil aliud quam ſpuma vilis, quæ ex ſanguine impuro mox coagulatur & in carnem tandem abſoluitur, quæ ſi probe educata & cum maximo labore ſaginata fuerit, vermium ſagina tandem fit & pabulum: talis cum eſſes, cæli domino ac terræ, in conſpectu cuius aſtra ſunt immunda, perſuaſiſti, vt quod maxime abiectum in te eſſet, aſſumeret. Aduentum meum patres olim ſuſpirauerant, Moſes baltiuerat, Dauid cecinerat, Salomon deſcripſerat, Eſaias vno hoc ſolatio languentem mei deſiderio populum ſuſtinuerat. Veni tandem & hoſpitium quæſiui. Locum non inueni: neque cuiquam ſuum præripui. Inter armenta ergo ac pecudes infelix infans, abiectus ſum. Sperauẽram futurum, vt quem propter maieſtatem intelligere non poteratis, eum cum ad vos veniret, viueret vobiſcum, inter vos habitaret, ſuauiſſime ac humaniſſime inter vos ageret, nemini grauis eſſet omnibus vtilis, morbos pelleret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Diabolos eijceret, animæ ſalutem aberrantibus comiter monſtraret, ſaltem amaretis. Si quem cæcum vidi, ei oculos aperui: ſi quem claudum, ei pedes reſtitui, ſi quem mutum, vocem ei reddidi. Si quem vidi eſurientem, eum paui. vbi panis non ſufficeret, ſemper miraculum ſufficiebat. Si quæ mater vidua, vnicum lugebat filium, ſi quæ ſoror fratrem, vitam reddidi vtrique. Si quæ muliercula aquæ hauriendæ gratia, ad puteum accederet, meliorem illi dedi quam optabat. Peccatores non abhorrui, publicanos etiam acceſſi. Cum omnibus familiariter verſatus ſum. *Nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda,* Eſai. 5.3.
iudicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod vltra facere debui vineæ meæ, & non feci ei? Cur cum exſpectarem vt produceret vuas, produxit ecce ſpinas, quibus caput meum frangeret? Produxit acetum, quod mihi propinaret: myrrham ac fel merum dedit, quod languenti domino ac ſitienti infunderet. *Væ* Ier. 15.10
mihi, mater mea, quare genuiſti me virum rixæ? Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam in vniuerſa terra: omnes maledicunt mihi. Concluſit Iob. 16.11
me Deus apud iniquum, & impiorum manibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

me tradidit. Circumdederunt me vituli multi:
Iob.16.12 Pſa.21.13 *tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxiſti me.* Hæc & his ſimilia, aut audiuerant Iudæi aut vbique legerant: totam vitam Domini, quæ pleniſſima defenſio illius erat, viderant ac obſeruarant. Docuerat in templo, docuerat in ſynagoga, in montibus docuerat, docuerat in triuijs: nihil celauerat, nihil clam habuerat. Sed videlicet iam tempus erat, vt, quod ante iacta mundi fundamenta Deo viſum fuerat, vnius victimæ oblatione omnia humani generis delicta expiarentur. Quam ex omni parte eſſe puram, integram, illæſam, neque vlla labe corporis aut animæ pollutam, antequam in aram tolleretur (quod & olim in victimis requirebatur) omnes eius pariter ac Dei hoſtes, confiteri oportebat. Neque hoc tantum, ſed honorem illi prius debitum deferre. Nihil enim fruſtra, nihil niſi dirigente eo fit qui opprimitur:

mitur: qui quod ſine horrore & diuinæ admiratione prouidentię cogitare nõ poſſum, vinctus & in poteſtate aliorum poſitus, adhuc quicquid patitur diſponit. Quicquid enim illi tribuit Eccleſia, prius illi tribuunt per iocum qui illudunt. Ridet miles Dominum: interim adorat. vt in eius nomine flectatur omne genu. Regem eſſe negat: interim coronat. Additur & calamus pro ſceptro: & ne quicquam deſit, pro abiecta veſte purpura induitur. Denique, quem valide contemnunt, Prophetam tamen eſſe, dum hoc nomine ſalutant, etiam fatentur. Habes Deum, Regem, & Prophetam. Vnde autem hæc ſcientia Romanis? Vnde inquam, niſi cælo ſic volente? cuius totum hoc negotium arbitrio diſponitur. Eodem prorſus modo, quo & innocentia damnati vindicatur. Iudas innocentem oſculo tradiderat, ſed eundem paulo poſt abſoluit. Internus enim tortor, quem ſceleſtus nemo euaſit vnquam, tanta vi vrebat animum ac cruciabat, vt obſcenam mortem mallet cum dolore, quam cum lucro vitam omni morte grauiorem. Pontius indignum eſſe pœna, ſæpe fuerat teſtatus: qui vt hoc la-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

teret neminem, manus ſuas toto populo ſpectante abluit non ſemel. Idem, populi fuiſſe ſeductorem, magno animo inficiatur. Herodes cuius taciturnitati illudere non metuit, eius tamen condemnare innocentiam non audet: & quod ſine dubio diuina diſpenſatione factum eſt, veſte candida indutum, quæ integritatis nota eſſe ſolet, a ſe iterum dimittit. Ioſephus ex Arimathæa oriundus, clariſſimus ſenator, ne quid præter animi ſententiam ſtatueret, ſenatu toto illo die abſtinendum ſibi putat. Iudæi falſos teſtes dum adornant & hoc publice apparet, nullius eſſe ſceleris compertum coram iudice teſtantur eum quem non aliter accuſant. Iidem quem ſeditioſum eſſe clamant, regem ſuum eſſe legunt in eadem cruce in qua tanquam noxium condemnant. Caiphas ſummus ſacerdotum, rei ſpiritu correptus, eius fit propheta quem perſequitur: & ingenti ore, ſimul & abſoluit eum quem accuſat, & arcanum ſalutis myſterium enunciat: Vni pro populo ſubeundam eſſe mortem. Solus Diabolus ſupererat, qui cum vnum hoc ageret, vt Dei filium opprimeret, ita tamen etiam hoc tempore in poteſtate eius erat, vt quod multi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

ex antiquis crediderunt olim, inuitus ac coactus, innocentem eum eſſe qui accuſabatur, per vxo- *Mat. 27. 19.*
rem iudici denuntiaret. A bijs ergo abſolutus, a quibus nihilominus damnatur, trophæum magnus imperator aſcendebat veritatis, non ſupplicium flagitij. Stabat Deus pater, maximus agonotheta, cum familia cœleſti, vt laborem filij ſpectaret, cui omnes inferorum pœnas & humani generis reatum impoſuerat. Stabat Deus Sabaoth, tanquam ignis deuorans, tan- *Eſa. 30. 27*
quam torrens inundans, tanquam leo rugiens, tanquam impetus grandinis, tanquam turbo *Eſai. 28. 2.*
confringens, qualis ſæpenumero iratus a prophetis deſcribitur: & quod ipſas inferorum pœnas aut excedit aut adæquat, iram ſuam quam aduerſus omnes homines conceperat, vni imputabat. Hac oppreſſus mole, præ qua omnes tyrannorum cruciatus ac dolores, præ qua omnes pœnæ martyrum, nihil aliud quam ſomnium aut vmbra fuerunt, ad certamen trahitur. In quo hoſtis generis humani, primus ille ſerpens, debellandus erat. qui vt hominem e Paradiſo eiecerat, ita iam æternis pœnis ac ſupplicijs addictum ac damnatum, in neruo & in vinculis concluſerat. Debellanda mors erat, quæ

in omnem iam carnem regnum obtinebat. Cum his congreſſurus maximus athleta, extra vrbem, tamquam publicum bidental, ne cõtagione ſua quemquam ſcilicet pollueret, ad infamem ſceleſtorum pœnis locum deducitur. quem a mortuorum cranijs, quæ paſſim ſparſa ibi eſſent, accolæ indigitabant: vt in caſtris ſuis ſcilicet & in arena ſua mortem expugnaret. Quod ſi ex Hebræis ſequimur nonnullos, idem prorſus fuit locus, in quo Adam olim fuerat ſepultus: vt vis mortis ipſis hoc Iudæis nos docentibus, ibi frangeretur, vbi primum cœperat graſſari. Ita in conſpectu hominum, in conſpectu Angelorum, inter cœlum ac terram cruci affigitur: ne res tanta clam perageretur. In extrema hac neceſſitate, in angore mortis, in dolore inferorum, ab irato prope Deo deſtitutus ac cõtritus, nondum hominem amare deſinit. Latronẽ enim ſeruat: pro interfectoribus precatur, Ita Deo immortali ſanctã illam & amore noſtri inflammatã vſque ad extremum vitæ halitum, animam committit. Quid de vobis autem, O Iudæi hic dicam, quorum barbaro furore ſimul & fatali cæcitate, facinus peractum eſt? O quæ vox ſufficiat, quæ lingua deſcribendo huic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

huic ſceleri par eſſe poſſit? Occidiſtis, occidiſtis, vitæ fontem, Dei primogenitum, creatorem orbis, regem Iſraelis: ſuſtuliſtis agnum illum innocentem in quo dolus non erat: principem pacis, fecialem gratiæ, diuinæ charitatis oratorem ac legatum ſuſtuliſtis. *O quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte? Flebo fletu Iahzer, inebriabo te lachryma mea Heſebon & Eleale. Iuſtus periit, & non eſt qui cogitet in corde ſuo:* cæli Dominus obijt, & non eſt qui hoc ſpectare ad ſe exiſtimat. Natio exſecranda, populus abominandus, ſine conſilio, ſine prudentia, ſine mente, Dei qui genuit te oblitus es, oblitus es, inquam, Dei, qui generauit te. Parentem ac creatorem occidiſti. *qui te ex Ægypto eduxit, per deſertum & imaginem mortis: per terram, inquam, in qua vir non ambulauit, neque habitauit homo*: qui te pane Angelorum, pauit, panem, inquam Angelorum tibi in deſerto dedit. *qui te circumduxit, qui inſtruxit te in vaſtitate terræ, qui te cuſtodiuit tamquam oculi pupillam. Sicut aquila quæ nidum ſuum excitat ſuper pullis ſuis cubat, expandit alas ſuas, ita te aſſumpſit & portauit. So-*

Ierem. 9. 1.
Eſ. 16. 9.
Eſ. 57. 1.
Ierem. 2, 6.
Pſ. 78. 24.
Deut. 32. 10.

lus

lus Iehouah te deduxit, & non fuit tecum Deus alie-
Iere.2.12. *nus. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſo-*
2.Sa.1.20 *lamini vehementer. Nolite annunciare in Geth, neque annuntietis in compitis Aſcalonis, ne lætentur forte filiæ Philiſtijm, ne exſultent filiæ incircumciſorum.* Faciem quam in Horebo non viderunt, cuius maieſtatem ferre Angeli non poſſunt, ſicut olim igne ita nunc veſtitam carne, conſpuerunt: ſanctum Iſraelis fuſtibus ac pugnis ceciderunt. Suſtulerunt Deum exercituum, qui viuit in æternum : nomen illi eſt Iehouah. Quod quidem nomen, cum ex ore & confeſſione veſtra, ſolum inter ea quæ attribuuntur Deo, illius exprimat eſſentiam, cæterum hoc Prophetæ veſtri, illi quem in crucem ſuſtuliſtis, tribuant non ſemel, quid eſt, o dementes, o fanatici, quod opponatis? Cuius literas ac ſyllabas, præ horrore ſuperſtitioſo non effertis, eius filium, o miſeri, imo eius ſanguinem, cum corpus veſtra cauſa aſſumpſiſſet, canes furioſi, effudiſtis. Ecce autem ſcelus veſtrum. Cælum horret & in nubem cogitur, terra trepidat & frangitur, petræ duriſſimæ ſcinduntur & diſſiliunt: omnia elementa ſentiunt flagitium & clamant. Totus orbis damnat factum veſtrum,

&

& abſoluit eum quem damnaſtis. Solem quoque e cælo expuliſtis: qui ne mortem Domini conſpiciat, horrenda caligine totum terrarum orbem inuoluit. Sol, inquam, ille, autor ille publicus luminis, qui per orbem vniuerſum lucis ſuæ vim ac radios diffundit, tamquam proſcriptus hoc facinore & relegatus, nihil vobis præter tenebras relinquit. Quid in cœlũ oculos attollitis? quid miramini, & ignari inter conſcientiam flagitij, & inuſitatæ noctis ſtuporem verſamini? Nullus hic naturæ defectus, nullus lunæ eſt occurſus, nulla radiorum eſt auerſio. Nullum hic draconis caput, nulla cauda eſt quam prætexatis, niſi eius qui hac morte profligatur, cuius vos mancipia ac adminiſtri, mulieris ſemen & promiſſionem veſtram, quantum quidem eſt in vobis, ſuſtuliſtis. *In ipſo vita erat, & hæc vita erat lux mortalium.* Ioh. 1. 4. Noctem quam videtis, non eſt temporis ſed iniuſtitiæ: dies tenebrarum & caliginis, dies turbinis ac nubis, quem Prophetæ olim prædixerunt: dies exſecrabilis, abominandus, dies ſanguinis eſt quẽ videtis. Hoc eſt quod legiſtis olim, *cataractæ de excelſis ſunt apertæ, & concutientur fundamẽta terræ. Confractione confringetur* Eſ. 24. 19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

terra, cōmotione commouebitur terra: agitatione agitabitur terra, ſicut ebrius. Et hoc quia ſuſtuliſtis eū, *qui dat ſolem in diei lumen, lunam & ſtellarum ordinem in lucem noctis.*
Iob.9.7. *Qui præcipit Soli, & non oritur: & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo.* Terra creatorem, petræ Deum, templum vero ſacerdotem agnoſcit: qui poſt antiquatas leges & exauctoratas ſuperſtitiones, cultum in ſpiritu, templum conſtituit in mente. Simul autem veli fractio oſtendit, omnibus iam ſacris finem eſſe impoſitum, poſtquam vna victima litatum eſſet, quæ & aboleret omnes, & in qua continerentur reliquæ. Holocauſtum enim abſolutum erat: nam propitiandi cauſa offerebatur. Holocauſtum penitus perfectum erat: nam divino charitatis ac amoris igne tota victima abſumebatur. Holocauſtum in quo nihil penitus deſiderares: cuius odor Deo erat acceptiſſimus. Libamentum erat abſolutum: mundiſſima farina, nullo peccatorum aut iniquitatis fermento inquinata. cuius pars in ara crucis Domino offertur, pars edenda ſacerdotibus, hoc eſt, nobis relinquitur: qui ſpirituali iſto cibo in æternitatē vitæ ſaginamur. Erat & Pacifica perfecta, quæ pro pace Deo deſtinatur: nobis autem animi

tran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

tranquillitatem attulit & pacem. Porro nulla vſquam tanta reperiri potuit ſub lege victima, quæ pro toto genere humano Dei iram expiaret. Ideoque aut in æternum pati hominem, aut pro homine ſemel pati Dei filium oportuit. Quid ſalutis noſtræ ſacramentum rides impie? quid illudis? quid in cœlum cornua ſuſtollis? quid miraris pati eum poſſe, quem ab omni paſſione Deitas ſeiungit? Audi quid Eccleſia reſpondeat. Pati Deus dicitur per vnionem, qui non poteſt pati per naturam. Hic cum Deitas in patiente eſſet, longe tamen aberat a paſſione. Audi iterum profane. Is qui moritur in cruce & qui viuit in æternum, is qui patitur in terra & non patitur in cælo, cuius corpus patitur & qui tamen non patitur cum corpore, is qui vincitur a morte & qui mortem vincit, licet non ſit vnus in natura, vnus tamen eſt redemptor, vnus tamẽ eſt ſeruator, vnum tamen eſt & idem in perſona. Sicut anima & corpus ſunt diuerſa, vnus tamen homo eſt vtrumque. Imperator ergo noſter moritur, & mortui reſurgunt: imperator noſter animam expirat, & qui expirarunt, eo ſic volente redeunt in lucem. Corpus enim moritur: verbum quod in corpore eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

operatur. Hoc caligine obducit cœlum, hoc abyſſos terræ concutit, hoc centurioni, imo populo inuito, vocem illam exprimit, Dei eſſe filium qui moritur. Caro eſt quæ trepidat, quæ horret, quæ ad mortem vſque, ſola eius recordatione contriſtatur: verbum eſt quod ſponte ac libenter ſalutis exequitur negotium. Corpus cum latronibus coniungitur, nec a Deo adhuc verbum ſeparatur. Verbum enim manet eiuſdē ſubſtantiæ cū Deo, quamuis caro figitur in ligno. Corpus denique eſt victima, verbū eſt ſacerdos. Qui decretam ab æterno liberationi noſtræ victimam, Deo patri mactat & commendat. Audi iterum profane: Qui ex ventre naſcitur, idem eſt cum eo qui non incipit, ſicut qui in crucem tollitur, idem eſt cum eo qui non patitur: vtrumque autem non vnius eſt naturæ, ſed vnius tamen in quo vtraque eſt vnita. Audis vocem illam infelicem, quam ſupremam, tamquam e dolorum ac calamitatum lacu, Dei filius emittit; DEVS MEVS, DEVS MEVS, QVARE ME DESERVISTI? Quid hic cauillaris? Carnis vocem audis, quæ non Dei ab humanitate ſeparationem, ſed humanitatis denotat calamitatem. Non enim

de-

deſeri ab eo poterat, a quo nullo modo poterat ſeiungi. Audi iterum, qui Dominum oppugnas, & qui parum putas ſemel obijſſe, qui humilitatem eius rides, & priuatus omni ſenſu, maximam ſublimitatem non conſideras. Quis Romanus vnquam Cæſar vocem edidit in curia, qualem imperator noſter edit in ſupplicio? Clauis vndique transfixus & affixus ligno, cruciario pendenti, Hodie in Paradiſo, inquit, eris mecum. Homo ſceleratus ſubito conuertitur, conuerſus peccatorum accipit remiſſionem, & qui latro venerat in crucem, Domino iubente martyr moritur non homicida. Iterum hoc dicam: Is quem obijſſe confitemur, ne in morte quidem minor eſt quam fuerat in cœlo. Loquar etiam audacius: Deus cæditur, illuditur, conſpuitur, patitur, moritur: nihil tamen horum patitur diuinitas. quæ humanitati firmiter adhæret, non ne nihil ſentiat humanitas, ſed vt cum diuinitate pariter triumphet. O beatum diem, quo hæc caro, perdita illa & infelix inquam caro, cum natura illa primum iungi cœpit, quæ nec mori poteſt, neque quicquam poteſt pati. Vt diuinitatis vnione ſeruaretur, quod humanitatis

culo coniungitur. Sed feliciorem longe illum, quo cum deitate ſic coniuncta caro noſtra, cui pro peccatis in æternum erat moriendum, ita mortua eſt in alio pro nobis, vt qui nec dolorem ſenſimus nec mortem, tamen reſtituti ſimus pariter in vitam. Sicut enim Deus noſtram induit in vtero naturam, ita mortem noſtram obijt in ligno. Quicquid enim paſſus eſt vt homo, paſſus eſt pro homine. A quo iam non magis poteſt ſeparari, quam ab altera natura, cum qua hanc coniunxit vt ſeruaret. O clementiam ingentem, o clementiam ineffabilem, o benignitatem nullis verbis, nulla hominis oratione exprimendam! Dominus qui benedictus eſt in ſæcula, primo factus homo tandem factus exſecratio eſt pro homine. O beatum diem, quo draconis caput frangitur, Leuiathan conteritur, Behimot immenſum animal ac potens, euertitur, mors calcatur ac eijcitur! O beatum diem, quo peccatum tollitur e mundo, peccator tollitur in cœlum, cœlum vero clauſum hactenus ac obſeratum, paſſione ſeruatoris aperitur! Hactenus ingreſſum Paradiſi Cherubim cũ enſe flammeo obſedit: nunc extinctus ignis, gladius

dius ſublatus eſt, poſtquam igne charitatis cœli limē Dei filius exuſſit quod vt cuiuis homini patere nunc intelligas, patet primo omnium latroni. Soli ſanctitatē ſibi vindicabant Iudæi, hi reijciuntur. Qui formarat ſibi hominem, format ſibi populum. Phariſæos damnat in Eccleſia, latrones ſeruat in ſupplicio. Synagogam vt ſuperbam præterit; in cruce ſibi ponit initium Eccleſiæ. Quid Diabolo fuiſſe animi putamus, cum videret mortuos ſibi eripi, damnatos abſolui, idque a damnato: cum videret tātam eſſe poteſtatem Ieſu morientis, quanta nulla vmquam imperantis fuerat. Cum videret non e ſaxis, ſed iam e patibulo ac propemodum in inferno, Abrahami excitari filios qui per ſolam fidem recta tenderent in Paradiſum. cum videret Dei filium poſt contumelias, poſt colaphos, poſt vincula, in morte denique ipſa, omnium poſtremo ædificare Eccleſiam. Adhuc, inquam, promouere patrimonium illud ſuum: maximam hæreditatem illam, quam iam ante conditum hunc orbem, ad æternam vitam & felicitatem numquam perituram ex humano genere, ex ipſis infidelibus ſelegerat: hæreditatē, quam potentia diuinitatis ſuæ ſicut olim fecit

&

& creauit, ita vi humilitatis & cruoris ſui precio ab infernis poteſtatibus & morte vindicauit ſibi ac redemit. Quam Prophetę conuocarunt, compegerunt Apoſtoli, Euangeliſtæ, gratiæ pręcones ac miſericordiæ, a terrore legis & immenſo ceremoniarum iugo, in antiquam libertatem iterum reſtituerunt: populum per vniuerſum terræ orbem, ſparſum ac diffuſum, & qui tamen ſpiritu coniungitur: qui nihil in hoc mundo poſſidet, & longe ſupra mūdum animo aſſurgit: qui in morte ſeruatoris ſui gloriatur, neque quicquam præter Chriſtum ſuum, & hunc cruci affixum, profitetur: populum inuictum ac inexpugnabilem, qui per ignominiam & paupertatem, per contemptum mundi & ludibria propagatur & accreſcit: qui ingenti animo & ſpiritu inuicto ducem ſuum fortiter ſecutus, non armatus Stoicorum pertinacia, nec perſuaſione credula deceptus, ſed illius ſacramento auctoratus, cuius ſanguine paſcitur, cuius carne nutritur in hac vita, cuius ſpiritu armatur, cuius verbo ac promiſſis accenditur, ſupra reges omnes ac tyrannos, ſupra metus omnes ac terrores, longe aſſurgens, vnum hoc laborat, vt cum ſuo capite iungatur, ſicut caput ipſum iungitur cum Deo. Cuius partes

tes nos ac membra cum ſimus, eiuſdem ſubſtantię cum redemptore noſtro, ſicut ipſe eſt eiuſdem cum Deo, qui per mortem eius viuimus, per vitam a morte reuiuiſcimus, quãuis in hoc mũdo, a mũdo tamẽ ſeparati, quamuis in carne, ab eius tamen liberati imperio ac poteſtate, ſequimur te triumphator, te redemptor, te ſeruator, bone Ieſu: ſequimur, ſi non corpore, certe affectu, certe lachrymis, certe ſuſpirijs: ſequimur, & magnitudine amoris tui penitus abrepti, poſtquam ſingula, quæ nullo noſtro merito pro nobis egiſti, diligenter conſiderauimus, vbi ad ſupremas afflictiones tuas, ad horrendã illam paſſionem tuam ala cõtemplationis peruenimus, ſub cruce tua, impotes noſtri ac immemores, deficimus. Ibi ploramus, ibi ineptas cogitationes noſtras, ibi iuuentutis noſtræ vanitatem, & fallacem ſcientiæ opinionem deponimus. Ibi charitatis tuæ infinitæ ac inæſtimabilis memoria medullitus percuſſi, penitus liqueſcimus. Ibi deniq; exclamamus, *Aſcendiſti in altum Domine, cepiſti* Pſa. 77. 19
captiuitatem. Ibi exclamamus, *Quid eſt homo, quod* Pſal. 8. 5.
es memor eius! quid eſt filius hominis, quod eum viſitaſti! Bone Ieſu, quid eſt homo, quod eum viſitaſti! *Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis* Iob. 10. 11

Iob. 10. 9. 10. *compegiſti me. Memento quæſo, quod me ſicut lutum feceris, & in puluerem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum coagulaſti me? Nonne ſi-*
Iob. 13. 28 *cut putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur a tinea?* Et vnde hoc mihi, vt morte domini ac Dei mei liberer a morte? Video amorem immenſum, amorem ſine modo, amorem ſine fine, amorem ſub quo intellectus deficit, pręquo ratio caligat. Ego peccaui, tu paſſus es, imo ego qui peccaui, in te paſſus ſum: abſolutus ſine pœna, liberatus ſine morte: ſed a morte tamen. Naturam meam in te tranſtuliſti, vt quam in me penitus corruperam, in hac ipſa per te innocentiam haberem: diuinam vero cõſeruaſti vt haberem gloriam ac dignitatẽ: vtranque cõiunxiſti vt humanitati mixta Deitas, Deitati iuncta humanitas, quæ calamitatem meam ſenſit, affectus meus induit, eum quem horrebã tanquam iudicem, vniret mihi in parentẽ. Quid dicam, aut quo pacto dicam? Non enim in me conſiſto, cum de te cogito. Tu immenſus, infinitus, non circumſcriptus, expers paſſionis, expers mortis, anguſtam, finitam, circumſcriptam, paſſionem denique ac morti obnoxiam hanc carnem, præ amore noſtri, induiſti: quam

per

per famem, per ſitim, per calamitates, per iniurias, per flagra, per ſputa, per ſanguinem, per mortem, per ſepulchrum, tractus, verberatus, extenſus, ac membratim diuulſus, Diabolo ſpectãte, cum diuinitate tua pariter coniunctam, qua indutus, vnam in eſſentia diuina conſtituis perſonam, ſupra omnes Angelos, ſupra omnes creaturas, quæ in cœlo ſunt & in terra, ad dexteram Dei patris collocaſti, vt qui ante vſque ad inferos depreſſi eramus, nunc in ipſa Deitate per te recenſeamur. Cæterum, quandoquidem hæc ipſa caro, quæ in te triumphat, in nobis autem gemit adhuc ſub peccato, memoriam tantarum rerum aut non ſatis colit, aut facillime deponit, etiam hic ſuccurre quæſo nobis. Fac vt oculos non corporis cum Thoma, verum fidei, qui ſunt inſtrumenta vitæ, perſpicilla ſæculi futuri, vſque in latus tuum & in tua vulnera immergamus: vt mens noſtra, ſeparata ab hoc corpore, ſeparata ab his ſenſibus, quibus arcte nimium adhæret, cruci tecum affigatur, & amore eius gloriæ, quam tu nobis præparaſti, inardeſcat, donec tu cum plena poteſtate vultum illum tuum, quem in terra conſpuerunt impij, in nubibus oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

des., vt ſententiam de omni carne pronunties. Nos autem, quos cum Deo patre iam conciliaſti, pro quibus mortuus es, paſſus, ac ſepultus, quorum chirographum Diabolo ereptum diſcerpſiſti, quos tantiſper carne tua paſcis, poculo amoris tui ac cruoris inebrias, ad te penitus aſſumes, vt vnum ſimus tecum, ſicut & tu vnum es cum Deo: qui cum Patre & cum ſancto Spiritu, Deus in æternum es. Amen.

D I X I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 16